RATIO ET VIA

divinum Officium recitandi Missamque celebrandi
juxta decretum S. Rituum Congregationis
die 23 Martii 1955 editum
de rubricis ad simpliciorem formam redigendis

RATISBONÆ
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 5 Augusti 1955

v. n.

JOSEPH MEINDL

Printed in Germany

PRÆFATIO

Die 23 Martii 1955 S. Rituum Congregatio decretum generale de rubricis ad simpliciorem formam redigendis edidit, die 2 Iunii autem eiusdem anni quædam dubia circa interpretationem huius decreti exorta resolvit.

Quamvis his decretis in ratione divini officii recitandi mutationes haud paucæ inducantur, in ipso Breviario Romano tamen omnia intacta manebunt. Immo editoribus Pontificiis stricte interdicitur, ne in novis etiam editionibus parandis quidquam innovent.

Hinc necessitas nata est præsentem fasciculum conficiendi, quo ordinatim describitur, quomodo in posterum divinum officium recitandum ac Missa celebranda sit.

Atque primo quidem ex integro referuntur ipsa S. Rituum Congregationis decreta (pag. 2 et 10); deinde per ordinem edicitur, quæ in Proprio de Tempore diversis anni temporibus (pag. 12—21) necnon in Proprio Sanctorum singulis diebus (pag. 22—61) observanda sint. Additæ autem sunt duæ tabellæ, quibus facile dignoscitur, quidnam sive in occurrentia sive in concurrentia plurium Officiorum vel Festorum agendum sit (pag. 62—64).